

hominum examini & rationibus illis se subducere queat, sed sistere se coram isto iudicio secundum iustitiam instituendo cogatur. Vnde apparet τὸ κατάλειμμα *reliquias* salvandorum ex tota mortalium serie atque incredibili multitudine per totam terrarum orbem dispersa, denotare. Dicuntur in sequenti commate ex Esaia σπέρμα, *semen residuum*, quod ex abolitione & velut πανολετρία humani generis superstes est, & comparatur *titioni*, ex incendio hominum, qui omnes Sodomae & Gomorrhæ instar consumi debebant, reliquo ac superstiti. Vnde apparet, quam emphasin habeat τὸ κρᾶζειν, *clamor* ille, quo dicitur Esaïas clamitare ὑπὲρ τῆς Ἰσραήλ, de populo Israelitico v. 27. Nimirum non esse clamorem gaudii sed lamentationis & doloris, nec non excitationis ad poenitentiam, quoniam ex tanta hominum copia nonnisi paucissimi deprehendantur salvandi.

XIX.

Hunc autem numerum *salvandorum* tametsi definire nos nequeamus, satis tamen erit dixisse, Deo sic cognitum & perspectum eum esse, ut solet τὸ κατάλειμμα seu residuum Arithmetico subductis rite rationibus per additionem & subtractionem, liquere & compertissimum esse. *Numerus* enim 144000. *obsignatorum* Apoc. VII, 4. equidem est electorum ex quavis gente & populo, (non ex solis Judæis, quod patet vel ex rotunditate numeri 12000. qui ex quavis tribu dicuntur obsignati, nec non omissione tribus Dan, in qua re quid mysterii lateat, praestantissimi Interpretes ignorare se, libenter profitentur) & quidem plenarius, sed non sic definitus nec infra hanc paucitatem conclusus, ut eorum non plures fuerint. Est enim perfectus in se & certus quoad divinam omniscientiam, incertus vero quoad nos. *Numerus electorum certus est, sed tamen non fatalis. dicuntur 144000. non quod nec plures nec pauciores fuerint, sed quod*
nume-